

ARCTOS

ACTA PHILOLOGICA FENNICA
SUPPLEMENTUM II

STUDIA
IN HONOREM
IIRO KAJANTO

HELSINKI 1985 HELSINGFORS

INDEX

Géza Alföldy	Ein neues Zeugnis für "suprafamiliare organisationen" im antiken Hispanien	9
E. Badian	Apollonius at Tarsus	15
Patrick Bruun	Gloria Romanorum	23
Pierre Grimal	Le Dialogue des Orateurs — témoin de son temps	33
Anne Helttula	<i>Post depositum militiae munus</i> . Official Phraseology in Ammianus Marcellinus	41
G. L. Huxley	Kastor on the Foundation of Eleusis	57
Iosephus IJsewijn	De <i>huius nympha loci</i> (CIL VI/5, 3+e) eiusque fortuna poetica syntagmation	61
Siegfried Jäkel	Τί τὸ σοφόν; Einige Überlegungen zu Euripides, Bakchen 877, 897	69
Maarit Kaimio	The Theme of Victory in Aeschylus' Oresteia and Ag. 314—316	79
Bengt Löfstedt	Lexikalisches zur Vulgata	99
Olivier Masson	Sur le nom de Bilistiché, favorite de Ptolémée II	109
Dag Norberg	Original ou fautes de copie?	113
Ulla Nyberg	Zu den inschriftlichen Kontraktionen von <i>dominus</i> in der sakralen und in der profanen Bedeutung	125
Martti Nyman	The Meaning of <i>micarius</i>	143
Teivas Oksala	Carmen Vergili? abiturii (Catal. 5)	147
Silvio Panciera	Qualche nuova iscrizione urbana d'interesse onomastico	153
François Paschoud	Le début de l'ouvrage historique d'Olympiodore	185
Tuomo Pekkanen	Notes on Tac. Germ. 46,3	197

Reijo Pitkäranta	Zur wissenschaftlichen Terminologie einer mathematischen Dissertation in Turku 1645	215
Heikki Solin	Namenpaare	229
Giancarlo Susini	Una memoria fotografica della tradizione bolognese di C. Mario	261
Ronald Syme	Praesens the Friend of Hadrian	273
Holger Thesleff	Notes on the Name of Homer and the Homeric Question ..	293
P. G. Walsh	Catullus 17 and the Priapean	315
Rolf Westman	Neues Licht auf New Fragment 8 des Diogenes von Oino- anda	323
Ladislav Vidman	Frauen der Senatoren in der Nomenklatur ihrer Sklaven und Freigelassenen	329
Toivo Viljamaa	The Accusativus cum Infinitivo and <i>quod-</i> , <i>quia-</i> , <i>quoniam-</i> Clauses in Latin	337
Henrik Zilliacus	Ein verlorener Papyrusbrief aus der Berliner Sammlung ..	351
Jaakko Aronen	Iiro Kajanto: Bibliography of Published Works	355

DE HUIUS NYMPHA LOCI (CIL VI/5, 3^{+e})
EIUSQUE FORTUNA POETICA SYNTAGMATION

Iosephus IJsewijn

*"Huius nympha loci, sacri custodia fontis,
Dormio, dum blandae sentio marmor aquae.
"Parce meum, quisquis tangis cava marmora, somnum
Rumpere: sive bibas sive lavere, tace!*

*

Iiro Kajanto, collegae Fennico sexagenario de studiis epigraphicis romanis eximie merito, hoc parvulum munusculum offerre iuvat, quo fortunam tituli celebratissimi Nymphae ad fontem dormientis novo lucis radiolo conabor illustrare.

Titulus Nymphae dormientis saeculo XV^o ad finem vergente primum innotuit; aliquamdiu pro antiquo habitus est et compluribus in villis Romae, Aquileiae, Messanae, Panormi ad fontem positus est una cum statua nymphae seu nudae seu vestitae. Medio autem saeculo XVI^o Martinus Smetius Flander, antiquarum inscriptionum studiosus, spuriam originem exposuit. Nihilo tamen minus poetis et pictoribus in deliciis semper fuit.

Nostra etiam aetate auctores docti hanc ad Nympham animos iterum iterumque adverterunt. Quorum praecipui praecipuaeque sunt:

1. Otto Kurz, Huius Nympha loci. A Pseudo-classical Inscription and a Drawing by Dürer, *Journal of the Warburg and Courtauld Institutes* 16 (1953) 171—177. Hic vir fortunam tituli investigavit apud Italos saec. XV—XVI^o, apud Adalbertum Stifter scriptorem Austriacum, Alexandrum Pope poetam Anglicum necnon Albertum Dürer et Lucam Cranach pictores.

2. Dieter Wuttke, Zu Huius Nympha loci, *Arcadia* 3 (1968) 306—307, priori commentationi titulum addidit varium et manu Conradi Celtis

poetae celeberrimi descriptum. In altero versiculo Celtis habet *placidae* pro *blandae*, in tertio autem *piscis cupias qui prendere* pro *quisquis tangis cava marmora*.

3. Elizabeth MacDougall, *The Sleeping Nymph: Origins of a Humanist Fountain Type*, *Art Bulletin* 57 (1975) 357—365. Mulier docta Ioannem Antonium Campanum (1429—1477) tituli auctorem habet propter notitiam a Bartholomaeo Fontio in codice Florentino Riccardiano 907, f. 172^r traditam et ab Ottone Kurz primum divulgatam. Quae est: 'Romae recens inventum Campani est.' Falso autem asseruit Fontium hanc notitiam habuisse ab ipso Campano, cum post annum 1464 Florentiae litteras doceret. Etenim Campanus ille Florentiae numquam docuit, verum Perusiae annis 1455—59. Litteratos autem Florentinos amicitia semper coluit urbemque identidem visit, sive Senis et apud Tuscos septentrionales ubi moratus est, sive postea ex itinere in Germaniam ad diem quieturus.¹ Quodsi Campanus verus auctor est epigrammatis (quod nec negare neque adfirmare ausim, siquidem inter Campani carmina non legitur), procul dubio Romae scripsit inter academicos Pomponianos. Scimus enim Pomponium Laetum cum suis titulos antiquos studiose conquisivisse, verum etiam opuscula a se scripta subinde pro veteribus venditasse: puta Modestinum illum de re militari. Quocirca non mirabimur, Campanus poeta si falsum Nymphae titulum fortasse conflaverit.

4. Bober Phyllis Pray, *The Coryciana and the Nymph Corycia*, *J.W.C.I.* 40 (1977) 223—229, Elizabethae MacDougall investigationibus adstipulata est, multaue praeterea adfert de fontium nympharumque cultu apud veteres Romanos eorumque in Urbe imitatores, qui saec. XV—XVI^o in Academias et Hortos Litterarios ludibundi congregabantur. Campanum quoque auctorem esse credit et inscriptionem iusto iure refert ad circulum Pomponianum, quandoquidem ad eius vivendi ludendique rationem proxime accedit. Nihil tamen dixit de Pomponiano falsandi usu, quem mea quidem sententia pro altero eoque firmo opinionis suae corroborandae argumento adferre licet.

5. Fabrizio M. Apollonj Ghetti, *Ninfe dormienti, Strenna dei Romanisti* (Romae, 1983), 7—14, praeter alia protulit Ioachimi Bellaii carmen galli-

¹ De Campano vide F. Di Bernardo, *Un vescovo umanista alla Corte Pontificia. Giannantonio Campano (1429—1477)* (Roma, 1975). Cf. p. 193, pp. 209—223 etc.

cum ('La nymphe dormante à la fontaine de pape Jules III') et tituli versionem a Iacobo Leopardi factam, quae sunt nova fortunae huius Nymphae testimonia satis luculenta.

6. Agnes Ritookné Szalay, *Nympha super ripam Danubii*, *Irodalom-történeti Közlemények* 87 (1983) 1—3, pp. 67—74 = *Reneszànsz-Füzetek*, libellus 58 (Budaepetini, in aedibus Academiae, 1983), quae ex *Historia inclyti Matthiae Hunyadis regis Hungariae Thomae Jordani* (Claudiopoli apud Transylvanos, 1585) haec adfert: 'Perennialibus pactis cum Turca induciis Matthias Rex Hungariae fontem solidum exornatum marmore Budensi arce dicitur exsculpsisse cum dormientis nymphae expressa imagine Marti postmodum vale dicturus extremum hac inscriptione:

*Fontis nymphae sacri, somnum ne rumpe, quiesco.
Dormio dum blandae sentio murmur aquae.'*

Dein de origine et historia inscriptionis agere videtur, sed opusculum quoniam Hungarice, eheu!, scriptum est, ne summario quidem in maiore lingua addito, nobis nullius est utilitatis et usus. Utinam Hungari Latinam linguam avito more etiam nunc rebus doctis adhiberent!

Matthias Corvinus anno 1483 cum Pasaite Turcarum sultano pacem composuit. Unde sequitur titulum intra spatium annorum 1483—1490 (quando mortuus est rex) Budae esse positum. Epigramma, ni omnia fallunt, in Hungariam allatum est ab uno multorum virorum doctorum, qui aut ex Italia oriundi aut postquam apud Italos studiis humanioribus operam dederant in aulam Corvinianam confluerunt. Monumentum autem illud Budense sua vice originem dedisse videtur alteri illi traditioni ad titulum pertinenti, quae legitur in codice Parisino latino 6128 (olim 5998), f. 114^r: 'Super ripam Danuui (sic!), in quo est sculpta nymphea ad amoenum fontem dormiens; sub figura hoc est epigramma...' Codex ante annum 1486, ut videtur, scriptus syllogen inscriptionum continet a Michaele Fabricio Ferrarino collectam. Fabricius prior erat monasterii Carmelitani apud Rhegienses Aemiliae et diem supremum obiit exeunte anno 1492.²

² Cf. Luisa Tassano Oliveri, *Notizie zu Michele Fabrizio Ferrarini umanista e antiquario e sulle vicende del codice autografo di Reggio Emilia C 398*, *Italia Medioevale e Umanistica* 22 (1979) 513—524; Myriam Billanovich, *Michele Ferrarini*, Aldo Manuzio, Marin Sanudo, *ib.*, 525—529.

Eius in sylloge a folio 85^r incipit inscriptionum series, quae dicuntur 'Urbanae a Feliciano et Cyriaco Anconitano acceptae'.

*

Haec hactenus de tituli origine satis obscura (quod pace MacDougalliae et Boberae sit dictum). Nunc de fortuna poetica partim nota, ex parte etiam nova adferam.

Conradus Celtis Germanus, qui anno 1487/88 in Italiam iter fecit, ante annum 1500 epigramma — ut detexit v.d. Wuttke — quibusdam verbis mutatis in codicem Noribergensem manu propria descripsit. At eodem fere tempore Domitius Palladius Soranus, poeta minor,³ titulum etiam pro suo edidit in libello qui inscribitur: Epigrammaton libelli. Libellus elegiarum. Genethliacon urbis Romae. In locutuleium (Venetiis, per Io. Baptistam de Sessa Mediolanensem, M.CCCC.XCVIII, die XVI mensis Maii), f. iii^r sive 23^r. Tres habet lectiones varias: in v. 2 *placidae* (quam etiam habet Celtis!); v. 3 *siquis* et v. 4 *lavare*.

Titulus etiam, ut notum est, extat in illa sylloge a Iacobo Mazochio Romae mense Aprili 1521 edita, c.t. Epigrammata antiquae urbis, ubi (f. 158) additum est: 'In viridario Cardinalis S. Clementis.' Quae notitia legitur etiam in codice Vaticano latino 1610, f. 58^v, ubi non solum epigramma extat sub titulo 'De nimpha dormiente apud fontem in domo Sancti Clementis Cardinalis', sed etiam sequitur responsum hoc:

*"Cum fontem, cum murmur aquae nimphamque iacentem
Appeterem, incauto marmora tango pede.
"Dum bibo dumque labor taceam licet, excita somno
Surgit et ut monstro territa nimpha fugit.*

Cardinalis Sancti Clementis esse videtur ille Dominicus De Ruvere, qui anno 1478 a Sixto IV^o purpura est ornatus. Hic vir prope a Vaticano in Burgo Vetere et Via Paenitentiariorum aedes splendoras aedificavit 'di Scossacavalli' vulgo dictas.⁴

³ M. Martini, Domitius Palladius Soranus, poeta. Contributo alla storia dell' Umanesimo (Frosinone, 1969); L'Umanesimo in Ciociaria e Domizio Palladio Sorano. Atti del Seminario di studi, Sora 9—10 dicembre 1978 (Sora, 1979). Notatu dignum est quod Palladius sodalis erat academiae Pomponianae!

⁴ P. Tomei, L'Architettura a Roma nel Quattrocento (Roma, 1942; 1977²), pp. 194—199.

Responsum illud primum fortasse est nonnullorum carminum latinorum, quibus epigramma variatum est. Aliud protulit Otto Kurz. Sedente Iulio II^o (31 III 1503—21 II 1513), compositum est a poeta Romano, qui vero nomine Evangelista Magdalenus Caputferreus, poetico autem Faustus Romanus appellatur.⁵ Natus est circa annos 1450/55, mortuus autem anno 1527 paulo ante Urbis direptionem. Anno 1512 statua mulieris recubantis nuper reperta supra fontem posita est in aula Vaticana a Pulchro Prospectu dicta. Haec mulier, quae Ariadnen revera repraesentat, illo quidem tempore Cleopatra esse credebatur. Itaque talem occasionem nactus Faustus multo acumine atque elegantia perquam urbana celeberrimum titulum variavit in hunc modum:

*"Fessa soporifero fontis Cleopatra susurro
 Perspicui dulcis frigidulique fruor.
 "Adcedas tacitus tacitusque lavere bibasque,
 Et tacitus, cesset ne mihi somnus, abi.
 "Quantum me vivam Caesar, mundi arbiter, arsit,
 Marmoream tantum Iulius alter amat.*

Cleopatra seu Ariadne illa vestibus erat velata, ut imago monstrat opusculo Elizabethae MacDougall adnexa. Quare diversa sit necesse est a nympha Iulii IIIⁱ, quam Bellaius postea cantavit; erat enim, ut ceterae nymphae, nuda. Sic enim poetam loquentem in ultimo versiculo induxit: 'Et seule et nue et chaste je sommeille.'

Semisaeculo post Faustum alius deinceps poeta latinus eandem nympham ampliore etiam epigrammate celebravit. Erat autem Ioannes Baptista Amaltheus, qui hoc carmen lusit:

In marmoreum simulacrum nymphae ad fontem dormientis.

*"Aspicias ut blando permulcens pectora somno
 Imminet argutae candida Naïs aquae?
 "Illa quidem riguam fontis requiescit ad undam,
 Et iacet aestivae fessa labore viae.
 "Quodsi forte sacros pertentes virginis artus,
 Et sopor invitis effluat ex oculis,*

⁵ C. Ballistreri, art. 'Capodiferro', *Dizionario Biografico degli Italiani*, vol. 18 (1975) 621—625.

*"Audaces exosa manus sua ad antra recurret,
Subtrahet et nostris se dea luminibus."*⁶

Ioannes Baptista Amaltheus unus erat trium fratrum poetarum, qui Opitergio oriundi sunt. Natus est anno 1525, Romam autem venit ineunte, ut videtur, anno 1562. Academiae Noctium Vaticanarum, a qua die 20^a m. Aprilis 1562 hoc sodalicium conditum est, socius acceptus est itaque unus erat ex intimis Caroli Borromaei amicis.⁷ Carmina quaedam iuvenilia Venetiis anno 1550 prodierunt in libro Benedicti Lampridii Cremonensis, cetera vero diu post auctoris mortem in lucem sunt emissa. Quoniam Nymphae carmen inter iuvenilia non legitur, non sine causa Romae natum esse deducas.

Vetus argumentum poeta Opiterginus scite satis novavit et ampliavit. Quibus autem artificiis in hac parodia usus sit iam videamus. Atque omnium primum totum carminis primigenii propositum et inventionem penitus mutavit: nympa non est quae spectantem adloquitur, verum ipse poeta quasi dux quidam et interpres comitis animum ad puellam dormientem advertit. Hac spectaculi conversione nisus poeta momentum aliquod eroticum introduxit (v.5, v.7), quo comes eius ad nympham quiescentem comminus iam iam accedit. Simul quoque nymphae figuram e custode fontis refinxit in Naida viatricem, novo rursus poetico commento usus ut frigidam vitaret imitationem.

Accedit quod hac novata inventione epigramma amisit tituli speciem, descriptiunculae vero accepit. Quo factum est ut nihil iam obstaret quin in maiusculum carmen excresceret, id est ut versuum numero duplicaretur. Sic singula tituli disticha in tetrasticha aucta sunt idque sine ullo disposi-

⁶ Trium Fratrum Amaltheorum Hieronimi, Io. Baptistae, Cornelii Carmina. Accessere Hieronymi Aleandri Iunioris Amaltheorum cognati poematia. Venetiis, MDCXXVII, Ex typographia Andreae Muschii, p. 146: Actii Sinceri Sannazarii ... Opera latine scripta ex secundis curis Iani Broukhusii. Accedunt ... fratrum Amaltheorum Carmina ... et notae Petri Vlamingii (Amstelodami, 1728), p. 451.

⁷ A. Buiatti, art. 'Amalteo Giovanni Battista', in D.B.I., vol. 2 (1960) 629—631; G. Ellinger, Geschichte der neulateinischen Literatur... I (Berolini-Lipsiae, 1929), 300—301; J. Hutton, The Greek Anthology in Italy to the Year 1800 (Ithacae, 1935), 243—244; W. Leonard Grant, Neo-Latin Literature and the Pastoral (Chapel Hill, 1965), passim.

tionis universae damno. Quod evenit quia totius carminis ratio primigenia pro portionibus religiose servata est, structura autem arctius etiam rotundiusque constricta. Vide enim ut exordium ab oculis adventantis (*Aspicis...*) sumptum sit, conclusio deinceps ad eiusdem ac poetae oculos apte redeat: *nostris ... luminibus*. Observes denique ad elocutionem quod attinet quomodo versiculi Ovidiano vel etiam Propertiano colore tincti sint, nullo tamen in loco nimis serviliter. Sit unum exemplum pro ceteris. Habet Propertius *audaces manus* (3,16,6), habet et Seneca (Herc. Fur. 247). At hic de Herculeis facinoribus, ille de latronibus loquitur, Amaltheus autem ad temerarium refert amatorem.

Fausti et Amalthaei carmina luculenter ostendunt quantopere non pictores tantum, sed et poetae saeculo XVI^o volvente iterum iterumque a *nympha illa dormienti tacti sint et ad novum validumque artificium moti*. At minus noti sunt quam pictores et sculptores, quorum opera ab omnibus facilius visuntur. Poetica vel latent in bibliothecarum tenebris vel, si prodeunt, non leguntur aut intelliguntur, quia Latina sunt, ideoque eorum non 'stat honos et gratia vivax'.